

Jonas Conrad Schramm

**Jonæ Conr. Schrammii Th. D. Et Prof. Ord. De Versionibvs Bibliorvm Vernacvlis  
Prolvsio Academica : Qva Simvl De Wertheimensi Fertvr Jvdicvm Et Ad  
Lectiones Pvblicas Avditores Invitantvr**

Helmaestadi[i]: Typis Pavli Dieterici Schnorrii, MDCCXXXVI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871293927>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.

Fa-1092 (48.)


1. Joach. Justus Kau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Con. Schramm de Verborum Bibliorum verborum Helmsf. 1735.
3. Christi. Bernh. Trücher Observationes critico-philologicae in Gen. 1.
4. 1. Witteb. 1716. Euae ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22.
4. Sam. Asteri de Euae ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22. 1674.
5. Jo. Fronmiat de Cherubim et gladio flammeo ad Gen. 11. 1.
6. Jo. Daath Seraholous de protueangelio Paradiseo ad Gen. 11. 1. 1732.
7. Jo. Friedrici Cotta observationes ad Gen. 11. 22. Gotting 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11. 1. 2. 14. Det. 1697.
9. Franc. Gabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11. 25. Lugd. Bat. 1712.
10. Jo. Guil. Naigerus de odore vestium Isaac ad Gen. XXII. 15.
11. Jo. Christian Alumius de Messia in visione Jacobi adumbato ad Gen. XXII. 12. Joh. 1. 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Naigerus de admirabili Jacobo cum Jacobo sororibus coniugis ad Gen. XXII. Lips 1674.
13. Friedr. Christi Geffer de iuramento Iosephi per vitam Pharaonis ad Gen. XXII. 15. 16. Region 1731.
14. Jo. Brischmuth prodromus de vaticiniis Jacobaeo Gen. XXII. 8. 9. 10. 11. Ten. 1651.
15. Jon. Con. Schramm de hisopis paschali ad Gen. XII. 22. Of Lig. Joh. 21. 29. Helmsf. 1735.

16. Jo. Seb. Denzau de judaeorum veterum factionibus et religio-  
nis ad Lev. XI. 20. xxxii. 6. 19. Lips. 1738.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi  
sive eorumque mysterio ad Levit. XIV. 1-8 Hal. 1737.
18. Jo. Christo. Wichmannshausen de corpore feisuffis et figuris non  
cruentatis ad Levit. xxx. 28. Witeb. 1718.
19. Jo. Geo. Abichtus de seniorum Hebraeorum acquisitione  
et officio servitio ad Levit. xxx. 29. Exod. xxxii.  
3. 1799. Math. III. 11. Joh. xiii. 4. Lips. 1702.
20. Petr. Zornius de manipulo primitiarum ex messe hordei  
ad Levit. xxiii. 16. 1 Cor. xv. 20. Col. 1. 17. Ed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad  
Num. xvii. Kil. 1672.
22. Jo. Maier de virga Aaronis florida ad Num. xvii.  
o. Witeb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione Judaeorum ad Deut. xvi.  
30. Hof. xiii. 4. 5. Thon. xi. 25. Apocalyp. xix.  
6-10. Witeb. 1679. reus. 1701.
24. Jo. Wich. Helligerus de vestibus etisraelitarum in de-  
sero ad Deut. xvi. 4. xxix. 5. Neh. ix. 25. Witeb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix. 29. Reg.  
1721.
26. Jo. Geo. Abichtus de cubitis fascis ad Jos. v. 2. Lips. 1712.
27. Em. Tricar. Cobius de Sarcota ad Jos. xix. 29. Witeb.  
1720. rec. Kelms.
28. An. Dan. Habichtshornius de actum Gideon ad Jos. vi. 24. Hof. 1697.
29. Jo. Frühmuthus de venigmate Samson ad Jud. xiv. 14. Jan. 1652.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Auzri ad 1 Reg. x. 1. 179.  
Jan. 1693.

31. Jo. Trifschmidtus de Reine Prophetiae nomine et prosopopea  
 Reg. XVII. 1. Jen. 1609.
32. Val. Flaerius de Schw. 2elo. ad 2. Reg. X, Lips. 1605.
33. Jo. Ges. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25-26-27. Lips. 1608.
34. Jo. Andr. Siegmund de formula 4177. 797-49 de Goete  
informatio ad Job. XIX, 25. Lips. Dresd. 1707.
35. Franc. Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad  
 Pf. XVI, 2. G. A. Witten 1729.
36. Jo. Trifschmidtus de Messias in sepulchro non relinquitur  
nullaque corruptioni obnoxio ad Pf. XVII, 10. Jen. 1608.
37. Jo. Trifschmidtus de manuum pedumque Messias in eum  
crucifixione perforatione ad Pf. XVII, 37. Jen. 1663.
38. Seb. Schmidius de reclione Messias ad Pf. XXV, 8. Aug. 1690.  
 Witten 1738.
39. Jo. Leont. Reckenberger de specie domus ad Pf. XXVIII, 13.  
 Jen. 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram sedis  
ad Pf. CX, 1. Witten 1662.
41. Mich. Boccini de Ornamento fessis ad Pf. CXVIII, 27.  
 Witten 1677.
42. Programma de numine Iffredis tutelari ad Pf. CXXI,  
 Helmst. 1732.
43. Jo. Christi Hebenstreit de pace super aquas mittendo. ad  
 Colos. XI. Lips. 1737.
44. Jan. Cor. Lehmannius de prophetis posterioribus Helmst.  
 1734.
45. Jo. Christi Ortlob de causis verbi divini non facit  
 ad Jes VIII, 20. Lips. 1715.

46. Jo. Frischmuthus propaganda Messiae ad Jes. IX. 6. 44.  
Jen. 1662.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube Levi equi  
tantae Aegyptum intrante. ad Jes. XIX. 1. Nov. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatis ad Jes.  
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 3.  
(Cor. II. 9. Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitz meditatio, quae relicta applicacionem  
Neumanni ad Jes. XXIX. 27. examina Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schramm de causis regni Christi in his  
terr. ad Dauid III. 79. 14. 9. 10. Helmsf. 1774.
52. Erndol. Friedr. Neubauer de Michade Messia et  
ipso Judaeorum septomium comprobato ad  
Dauid XXII. XII. 1. Jud. v. 9. Apocaliff. XII. 7.  
Giesf. 1739.
53. Jon. Conr. Schramm novissimum prophetarum de novissim  
voluntarium ad Dauid XII. 2. Helmsf. 1774.
54. Jo. Christo. Wesfius de juvent labiorum ad Rog. XIV. 3.  
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Inagius de poenitentia bestiarum Virivictica  
ad Jon. III. 7. 8. Leipf. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus  
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quensperg de desiderio omnium gentium ad  
Hag. II. 8. Witeb. 1668.
58. Sam. Leimonius de confessione pauci ad Eccl. VI. 12. 4.  
13. Norn. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertzi obsem. philol. in Nachb. II. 15. 16. Leipf. 1727.
60. Jon. Conr. Schramm programma, quo defensio quedam  
Septakenti Worthheimianis expend. Am. Helmsf. 1787.





2.  
JONÆ CONR. SCHRAMMII  
TH. D. ET PROF. ORD.  
DE  
VERSIONIBVS  
BIBLIORVM  
VERNACVLIS

*PROLVSIO ACADEMICA*

QVA SIMVL

DE WERTHEIMENSI FERTVR  
IUDICIUM

ET

*AD LECTIONES PVBLICAS AVDITORES*

INVITANTVR.

---

HELMAESTADI  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.

clolcccxxvi.

2.  
HONOR. CORR. SCHRAMMII  
TH. D. ET PROF. ORD.  
DE  
VERSIOIBVS  
BIBLIORVM  
VERNACVLARVM  
PROMPT. AD. A. D. D. D. D.  
DE. VERT. H. H. H. H. H.  
I. I. I. I. I.  
AD. LECTIO. H. H. H. H. H.  
L. L. L. L. L.  
H. H. H. H. H.  
T. T. T. T. T.  
A. A. A. A. A.  
M. D. C. C. C. C. C.

## JON. CONR. SCHRAMMIVS

TH. D. ET PROF. ORD.

THEOLOGIS COMMILITONIBVS

S. P. D.

**T***heologiam Dogmatum, è Vet. Testamento potissimum illustratam, Publicis vobis tradere Lectionibus promissi, Commilitones, & his laboribus semestri hoc hibernum impendere. Scitis enim, me alternis vicibus, & pro officii mei ratione singulari, nunc Textus Librorum Sacrorum Instrumenti præsertim Veteris explicuisse, nunc iterum ad Fidei Dogmata, Moresque, argumentis convenientibus applicuisse. Id quod certè præcipuum esse debebat, in quo cives nostri occupentur, divinis studiis addicti, ne ab aliis quibusque temerè eò provolantibus, & sibi nescio quid juris hac in re vindicantibus, in circulis suis turbentur. Factum hoc esse adhuc pronuper, cum in lucem anno superiori 1735. prodiret nova Bibliorum in linguam Germanicam Translatio, quam WERTHEIMENSEM vocant, à loco, cui ortum suum debet, novimus omnes, quotquot è novis literariis quotidie proficere cupimus. Pentateuchus quidem solus fuit, qui Versionis hujus primum præbuit specimen, & iste quidem, ut infelix lolium sterilesque avenæ, ne dominarentur, in herba suppressus. Rectè etiam passim jam impugnetur à doctioribus, ut appareret vel quæ suberat, fraus illa, vel ostentatio, vel ut mollissimè loquamur, autoris ipsius imprudentia. At quò maturius & ipsi de hoc opere feratis judicium, paucis tantum, nam Versionem istam cariori pretio redimere, nihil refert, hac occasione præmuniendi estis, postquam de Translationibus Bibliorum præcipuè Vernaculis, quæ ad rem faciunt, nonnulla audivistis.*

A 2

Scriptu-

Scripturæ Sacræ Versiones in linguâ communi, quæ Vernaculam vocamus, sæpius mutare, & mutatas divulgare, non ad Ecclesiæ ubique facit utilitatem; præsertim si id fiat ab imperitis autoribus, & qui gloriæ suæ cupiditate potius, quàm necessitate eò ducuntur, vel & errorum jam tùm accusati. Nedum si sub specie quadam autoritatis publicæ seu Civilis seu Ecclesiasticæ obtrudantur invitæ, aut occultè introducantur. Christus ipse & Apostoli, utut Versionem Græcam Septuaginta Interpretum, quæ tùm temporis in usu erat, sæpè ab emphasi textus Hebræi discedere, & multa in istâ ideò meliori modo reddi posse, scirent, ubique tamen citarunt, & cum eadem locuti sunt. Exempla hæc imitati sunt Patres Græci & Latini, quorum hi Versionem Latinam unam eandemque retinuerunt, utut semper cum verbis authenticis conferrent, & ex his emendarent. Viderunt enim, quantæ in hoc labore oriantur animorum dissensiones, quæ si omnes aut in orationibus ad plebem, aut in disputationibus doctorum obtinerent, nunquam ad certitudinem ipsorum fidei capitum, aut materialium ad res peragendas spectantium, pervenire liceret. Voluerunt ergò in potioribus nos convenire, & quæ salutem Ecclesiæ concernunt, quàm in Criticis oberrare. Quæ causa quoque est, cur Germanicam Beati LUTHERI Versionem ubique adhibeamus, qui Lutheri doctrinam in Germaniâ amplectimur, nec unquam Ecclesiæ hinc damnum accessisse, observavimus. Quin laudarunt eam ipsi nostri adversarii, cum è cœtu Pontificiorum tum Reformatorem, solis fortè Fanaticis aut Socinianis exceptis, nec quicquam impugnationibus suis, ex aliis causis susceptis, contra hanc effecerunt.

Habebat omninò, cur non præteriret talia CONRIN-  
GIVS noster, cum contra Versionem Bibliorum Germanicam à  
Duce sapientissimo, divo AVGVSTO, correctam, & Anno superioris  
seculi, sexagesimo quinto & sexto Guelpherbyti typis exscri-  
bendam, objicerentur; etiamsi eadem operâ ad ista respon-  
deret,

deret, & piam satis optimamque hujus Principis vindicaret intentionem. Scripserat enim Epistolam Gratulatoriam Natalis Octuagesimi Octavi ad Ser. Princip. ac Domin. D. Augustum, Duc. Brunsv. & Luneb. quâ simul pium Principis de novâ S. Scripturâ Germanicâ Versione institutum, à sinistris suspicionibus ac susurris vindicatur, Helmstädt. MDCLXVI. Equidem cum opus ferveret maximè, ad cœlestia emigravit, illudque imperfectum & Prophetas priores nondum superans reliquit Divus Princeps; ipso eventu comprobaturus, quæ de eo Dissertatione citatâ pag. 140. perhibebat CONRINGIVS: *Si turbare nonnihil, ait, hoc negotium Deo placuerit, imò si nolit ille absolvi, parebis non refraganter, non invitè, summo rerum gubernatori.* Ne verò traduceretur ab ignaris, aut nimio fervore stantibus pro LUTHERO nostro, de quo honestissimè semper senserat Princeps Optimus, Quinque potiora in medium affert argumenta, quæ consilium istud ferire videbantur. Primum scilicet, Testamenti saltem Veteris, (quidni etiam Novi?) dare Versionem, quæ omnibus numeris perfecta sit, impossibile esse, alii contendebant. Ac proinde inanes ejusmodi videri conatus. Alii secundò, sufficere Versionem non perinde accuratam in Ecclesiæ usum, causabantur. Tertiò quidam, jam tùm in Ecclesiarum Germanicarum manibus versari B. LUTHERI versionem exasciatam, ut meliorem frustra expectaveris. Et quamvis quartò aliqua rectior queat condi, edi tamen illam haud posse sine Ecclesiarum nostrarum turbatione & damno. Ad hoc quintò, non sapienter satis tantum opus uni, illique non provectæ multùm ætatis viro, nec vacuo ab aliis occupationibus, esse commissum, nonnulli murmurabant.

At regerebat, quæ decent, ad hæc singula CONRINGIVS noster. Ad primum, nihil aliud instituisse beatissimum Principem, quàm dare in usum Ecclesiæ vernaculam interpretationem, quæ solito esset accuratior: in quantum nihilominus conditio permetteret & codicum & utriusque

linguæ, & quatenus patiuntur nostræ vires. Ad secundum, sufficere quidem Versionem quamvis mediocriter fidelem, omniumque ideo manibus tritam. Sed propterea non inane esse, qui novæ & accuratiori Versioni impendatur, laborem. Alias certè præter unam aliquam nulla alia admitenda foret, aut cum fructu legi posset, sive ornatu suo sive claritate ac certitudine reliquas superaret. Est utique utilium sua quædam diversitas, perinde atque τὸ ἐν ἐνάτῃ suam habet latitudinem. Nec mensura utilitatis hujus, imprimis si ad quemque redeat in specie, promiscuè determinari potest. Ad tertium, licet adeò laudibus suis defraudanda non sit Versio LUTHERI, ut potius feria anniversaria Matthæi Apostoli jure nobis debeat esse solemnis, ob memoriam primæ Lutheri, quæ hoc die lucem viderit, Novi Testamenti versionis, cavendum tamen esse, ne in eosdem scopulos cum Pontificiis impingamus, infallibilem Pontificem suum, & Versionem Latinam Vulgatam ab illo autoritate donatam, imò superiorem adhuc textu Authentico, cuius regula esse debeat, statuentibus. Ipse testatur D. JAC. WELLERVS Præf. in Biblia Luneburgensia Anno MDCLXIII. excusa, LUTHERVM non æquè verba, quàm sensum horum secutum fuisse, Wo nicht überall die Worte / jedoch den Sinn derselben sein erkläret / quod est paraphrasticum, cum necessitas postulat, non interpretem agere. Sique hic in versione defectus restitui potest, emendationem non respuit. Ad quartum, certum fuisse divo Principi, in publicis Ecclesiæ sacris nihil novare, multò minus istuc Jura sua Episcopalia extendere, sed receptæ Versioni pristinam suam dignitatem pristinumque locum servare, ibi integrum cuique reliquisse. Prout nec aliis Versionibus, simili scopo divulgatis, & cum vulgari illâ collatis, publica turbata sit tranquillitas, aut quicquam in Ecclesiâ innovatum. Hæc ibi de hoc negotio disputata, quæ etiam discussit in peculiari Dissertatione D. ZELTNERVS de Novis Bibliorum Versionibus præcipuè in vernaculâ non teme-

temerè publicandis, cujus in fine eandem rationem Catechismi LUTHERI esse, & cur nec reliquorum Librorum Ecclesiæ nostræ Symbolicorum? autumat, utpote *quæ cum semel nascentis Ecclesiæ roboraverint fidem, auresque hominum occupaverint, ut loquitur HIERONYMVS, Præf. in Paralip. nostro quoque silentio comprobanda, nec proinde quovis lustro censenda sint.*

Jam verò, quid hæc ad Wertheimensem illam Pentateuchi translationem attinent? inquietis. Et num inde excusare potius, quàm impugnare novum istius Exegeteos licet specimen? Audite verò, ô nostri, quàm longè diversa sit utriusque interpretis intentio, quæ vis doctrinæ utrobique, quæ existimatio ac prudentia, & quanta hinc laborum istorum eluceat differentia, quicquid de similitudine aliis videatur. Qui Versionem Guelphicam curaverat, Princeps erat, cum sapientiâ tum pietate, & quod maximum erat, longo rerum usu ceteris omnibus antefendus, & qui præterea illud consilium suum jam ante complures annos agitaverat cum viris eruditis, CONRINGIO teste; quique cum doctissimis Germaniæ nostræ Theologis de rebus Biblicis, & rectissimis plurimorum Scripturæ locorum Versionibus consultationes, ut docent literæ adhuc prostantes, instituire non desinebat, ad supremum usque vitæ momentum. Qui denique ex his imprimis operi adhibebat Philologum ac Theologum Sacræ Scripturæ interpretem excellentissimum, hujusque Academiæ Professore ac Doctorem, SAVERTVM, præterquam quod ipse manupropriâ, ne quid supponeretur, describeret; quâ de re luculentissimo testimonio esse possunt codices Bibliorum in Bibliothecâ Guelphicâ asservati. DESAVERTO VERÒ CAROLVS Histor. Ecclesiast. Sec. XVII. ad Ann. 1689. quo ille obierat, p. 498. testatur, *quod solidam eruditionem suam dudum comprobavisset per edita monumenta sacra, imprimis Scripturæ sensum curatius investigantia.* Hæc de Theologo Theologus non infimi nominis. Ipsaque opera

SAV-

SAVBERTI posthuma Altorffii 1694. à b. collega nostro D. FABRICIO excusa, loquuntur. Vbi verba B. LUTHERI è textu Authentico plerumque explicuit, ita tamen, ut ubique, nisi palmam merentur, saltem profundum de illo iudicium, ac doctrinam aliunde etiam satis constantem, comprobaverit.

Num idem de se asseverare potest autor Wertheimensis, & num aliqua saltem ex his se&tatus est vestigia? Num in consilium unquam viros adduxit aliquo doctrinæ genere verè eminentes, nedum Theologos? Num ipse satis ad hoc propositum idoneum se sensit? Num solennis ad id à magistratu ipsi facta potestas? Numque talis hæc versio, ut eam ab ipso expetere, tanta postularet necessitas, & quasi vinceret ante se alias perfectione? Vtinam! Sic facilius multæ cessarent querelæ, quas nemo unquam de Versione Augusta audit, de Wertheimensi quotidie audiuntur. Sed hæc seculi nostri lues est deploranda, ut quicquid novitatis quadam specie commendatur, id audeat quisque, scribat, typographo tradat, defendat ad convitia usque sanius stantentium, suffragia denique amicorum adversus eos corroget, etiamsi vix elementa illorum, quæ tam cruda & incocta in orbem propelluntur, quisquam horum intelligat, dummodò lucri aliquid inde redundet, & magnotum conciliet benevolentiam. Eam eruditis præbere versionem instituerat DVX noster AVGVSTVS, eaque fide & industriâ confectam, ut ad certitudinem in omni vitâ humanâ, non ad errorem, crederetur sufficere. At quid recentior ista translatio? Næ! legendo plusquam ante erant, incertos reddit, tantòque longius aberrantes suos admiratores.

Dicitur *Versio* liberior, eine freye Uebersetzung. Vocari merebatur *Discursus* liberior, eine freye Beurtheilung. Gallicè: *Raisonnement*. Sed quantum est, proh! Deum immortalem, quod ad sententiam de rebus divinis aut verbis Spiritus Sancti ferendam exposcitur? Nec Versionis bonæ requisita præfert,

fert, nec Paraphraseos, quod vel tirones judicent. Verba ipsa sententiasque integras contra nativam suam significationem effert, & in his quædam nunc omittit, nunc addit præter ullam necessitatem, quod implicat sensum authenticum, malamque in his arguit fidem. Ita Gen. III. 22. *GOTT der HERR sprach, dixit Deus; redditur: GOTT dachte, cogitavit Deus.* Et ibidem: *Als unser einer / sicut unus ex nobis; ne verbulo exprimitur.* Iterumque Gen. XI. 7. *Wolauff laßet uns hernieder fahren / age, descendamus; vertitur malè admodum: Damit ich nun solches hintertreibe / ut igitur tale quid impediam.* Gen. XXII. 12. *Um meinethwillen / mei causâ; per: Gott ist damit wol zufrieden / hæc æquo animo fert Deus.* Si porro quisquam interpretum verba deserere cogitur, propter naturam utriusque idiomatis, brevi aliquâ, quod fecit B. Lutherus, evolvat restituatque Paraphrasi. Sed neque hoc observavit noster vel observare voluit. Nam Gen. XIX, 13. *Daß ihr Geschrey groß ist vor dem HERRN / quia clamor illorum ingens coram Domino; interpretatur: Gott kan die Ruchlosigkeit dieser Leute nicht mehr anhören, Deus impietatem istorum hominum diutius tolerare nequit.* Num versio hæc sit, num paraphrasis, meritò dubites. Quomodò hæc quadrant invicem? Et ubi est emphasis Peccati *Clamantis?* ubi vocum: *Coram Domino?* Certè non obiter talia dicuntur, aut tanquam in familiari discursu, sed verba Spiritus Sancti sunt, Dei ipsius sunt, unde montes pendent & maxima orationis pondera, quæ tam leviter prætereunda non sunt. Sunt & alia longè plurima, sterilia æquè & jejuna, quæ suâ carent & proprietate & emphasi. Vt est illud Gen. XXII. 16. *beschlossen / constituit, pro geschworen / juravit* Ex. XXIII. 21. *Gewalt / potestas, pro mein Nahme / nomen meum.* Item Ex. III. 4. *So wurde ihm zugeruffen / vox ad eum rediit, pro rieß ihn Gott / vocavit eum Deus.* Præstitisset in his, quæcunque latent, enodare, ne quæ reticuit Deus non sine causâ, cuiquam fucum facere viderentur. Vt solent his artificiis uti Fanatici.

B

exempli

exempli causâ, cum Joh. IV, 21. *Deum in spiritu & veritate Christus vult adorari, illi cultum quemvis externum inde relinquunt, ac si per spiritum & veritatem hic excludatur. Idemque ore canere prohibent, quia Paulus jubeat Eph. VI, 19. Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & canticis spiritalibus, canentes & psallentes in cordibus vestris Domino. Quasi corda ad canendum à Deo, & ora hominum ad loquendum solum condita sint.*

Qualis autem Paraphrasis est, talis Explicatio nascitur, neque hujus vel solam umbram gerit in Theologiâ, quæ neque juxta regulas Philologicas neque Theologicas concepta est, vel adornata. Etenim istæ exposcunt, ne à verbis ipsis horumque sensu literali abeamus, hæ verò ut sensum inde spiritualementem, quem profanus quisque vel sectarius non æquè videt, singulari curâ ac studio eliciamus. Neutrum curat Interpres noster, cum verbi gratiâ effert Exod. XXXI, 3. XXXV, 30. 31. *Spiritum Dei per Ingenium insigne. Mit dem Geist Gottes / per, Von vortreflichen Verstande. Et in plurali Numero, solche Weissager / hos vates, pro singulari, einen Propheten / Prophetam, Deut. XVIII, 15. Requiritur Canones Theologici, ut ad typum quoque τῶν ὑγιαίνόντων λόγων singula proponantur; verbi causâ, ne formula deus DEUS / Deus tuus, efferatur per, dein beständiger Regent / Princeps tuus perpetuus, Gen. XVII, 7. Nec Christus Schiloh dicatur Monarcha, Gen. XLIX, 10. Bis der Held komme / ubi sic transferuntur verba, bis auff die Zeit / da ein grosser Monarche auffstehen wird. Neque idem, loco Prophetæ, ein Weissager / Augur, voce abjectâ & vili, Deut. XVIII, 15. vel Spiritus Sanctus, Deus ipse. hefftige Winde / Venti aut tempestates vehementes, Gen. I, 2. Das Volk Gottes / und Priesterliches Königreich / Gens Dei & Regale Sacerdotium, seine eigene Leute / und sein Geistlicher Staat / homines proprii vel servi, & status seu comitatus Ecclesiasticus, Exod. XIX, 5. 6. Du segnest mich denn / Nisi benedixeris, mihi, Wir müssen vorher gute*

gute Freunde werden / *Ante inter nos contrahenda familiaritas*,  
Gen. XXXII. 26. Egregiè! Plaudite sodales & arbitri.

Haccine illa gratiæ indicia sunt, quam Spiritus Sanctus omnibus piè tractantibus verbum suum promisit? I. Cor. I. 18. Et num vel mica ex his ejus *veritatis* aut *doctrinæ* elucet, quæ *secundum pietatem est, in spem vitæ aternæ*? I. Tim. VI. 3. Tit. I. 1. 2. Quin loqui hinc putes seu Castalionem Germanum, scilicet, seu hominem, qui solâ Religione Naturali ducitur, aut nullâ. Nempe fructus isti sunt contemptus, quo modos loquendi Ecclesiæ ac Theologis melioribus usitatos prosequuntur multi ac deludunt; quin obsoletos vocant & prædicantibus quondam familiares, *prædicantem* Deutsch / &, einen altväterschen Kanzel-Stylum. Hac illa vertendi vel potius invertendi libertas, ut ipse autor appellat. Si quis B. LUTHERI Epistolam ad Amicum inspexerit, quam scripsit Ann. 1530. Vom Dolmetschen und Fürbitte der Heiligen / facilius de illâ erit judicium. Ille, cum de causis Versionis suæ ad *Ave Maria* differuisset, sic pergit fol. 143. Doch habe ich wiederum nicht allzu frey die Buchstaben lassen fahren / sondern mit grossen Sorgen sähet meinen Gehülffen darauff gesehen / daß wo etwa an einem Wort gelegen ist / habe ichs nach den Buchstaben behalten / und bin nicht frey davon gegangen. Als Joh. VI. da Christus spricht / diesen hat Gott der Vater versiegelt / da were wol besser Deutsch gewesen / diesen hat Gott der Vater gezeichnet / oder diesen meyner Gott der Vater. Aber ich habe ehe wolten der deutschen Sprache abbrechen. denn von dem Wort weichen. Ach / es ist dollmetschen ja nicht eines jeglichen Kunst / wie die tollen Heiligen meinen. Es gehöret dazu ein recht fromm / freusleißig / furchtsam / christlich / gelehrt / erfahren / geübt Herz. Darum halt ich / daß kein falscher Christ noch Kotten Geist treulich dollmetschen könne / wie das wol scheint in den Propheten zu Worms / was verdeutschet / darinn doch warlich grosser Fleiß geschehen / und meinen Deutschen fast nachgegangen ist. Aber es sind Jüden dabey gewesen / die Christo nicht grosse Hulde erzeiget

B 2

haben.

haben. Sonst wäre Kunst und Fleiß genug da. Hæc illis scripta sunt, qui sibi placent nimium in carpendis illis, quæ hic vir beatus è Scripturis in vernaculam nostram tanto cum labore traduxit, quorum multi circa totam Utriusque Fœderis Scripturam, multi circa partes ejus occupantur, suaque hinc infelici quanquam successu edunt specimina. Ecquis verò negaverit, ab inversâ hac verborum constructione, vel res sacras proponendi ratione, conceptus nasci, longè invicem & à veritate aberrantes? Falsumque omninò esse, quod Autor arbitratur, daß / wenn man die Göttlichen Schrifften dem Vortrage nach sehr verändert allhie antrifft, auf solche Art die Begriffe nicht geändert werden.

Tacemus Explicationem & Confirmationem Veteris Testamenti ex *Evangelistis & Apostolis*, quæ duo, cum sint indubitata non tantum, sed & utilissima ad intelligendam Scripturam Sacram adminicula, ab autore tamen nostro negliguntur, quin ad inversum rerum ordinem perperam referuntur. Nonne Servator totam illam, quæ de se agebat, inde à Mose & Prophetis ex ipsis temporibus Novi Fœderis, hujusque eventu, tanquam è testimoniis invictis declarabat? Luc. XXIV, 27. Nonne si Moysi, inquit, crederetis, crederetis & mihi? Joh. V, 46. Et tamen perversè contrâ hæc agere, noster cavillatur, qui eadem viâ cum Christo procedant. Es würde eine verkehrte Sache seyn / wenn man die Begriffe von seinen Worten in den folgenden Schrifften suchen wollte / welche erst lange nach ihm verfertigt worden. Daremus hæc quadantenus, si de Scriptoribus v. gr. Romanis aureæ, argenteæ, & ferreæ ætatis, sermo esset, aut de profanis quibusque, stylium pro seculi voluptate immutantibus, & quid posthæc de se futurum sit, nescientibus, nec quicquam curantibus, horumque oratione litigaretur. In foro sacro alia ratio obtinet, quam in civili. In isto enim veritatis divinæ indicium est, quod ultima primis respondeant, & hinc verba quoque veritatis hujus argumenta omnia inter se perpetuò concordent. In quo

quo itaque malè se versatum esse arguit Commentator Wertheimiensis, qui Mosen à Christo & Apostolis explicari, nequaquam vult concedere. Sic enim ille ibid. Ich kan nicht zugeben / daß die Worte Mosi ihre Erklärung erst zwey tausend Jahre hernach von dem Messia und seinen Schülern erwarten sollen. Ecce! qualis hic sit, qui tantum aggressus est laborem. Num Theologus, num Christianus, num Ethnicus, num Judæus? Theologus esse nequit, qui Theologiae regulas ignorat, nec sequitur. Christianum nominare non possumus, qui Christi & discipulorum spernit interpretationem. Ethnicum dixeris? falleris. Nec Ethnicus sanæ mentis est, qui præterit in interpretando contextum, quem in Scripturis Divinis etiam Novi Testamenti libros constituere, vel pueri sciunt. Judæum igitur vocares, si circumcissus esset, & sacra Judaica amplecteretur. Imò verò nec Judæum; utpote qui contra Hebraicam veritatem loquitur toties, & priscam Hebræorum religionem sub nomine crassiæ cujusdam ignorantia ac simplicitatis convitiatur ac traducit. Die Juden / wo die Schriften zuerst auffkommen / haben sich gar nicht auff die Erforschung der Wahrheit geleet / sondern in Unwissenheit und Laster gesteckt. Mala utique nota Judæi, qui secundum Apostolum Rom. III, 2. *id habere dicitur præ ceteris, ut ipsi crederentur eloquia Dei, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsa illa scripta, quæ transferendo nosker adortus est.* Pessimèque de Hebræis merentur, qui hos de veritate divinâ tam malè meritos esse, comminiscuntur. Nec famam Ecclesiæ Veteris Testamenti, cujus hic monumenta exponit, conciliat meliorem, quod de *contemptu illius apud gentiles*, ob judicii doctrinæque penuriam, profertur ab eodem: Weil sie wegen ihres Verstandes in schlechtem Ansehen stunden / so haben andere um ihre Umstände sich wenig bekümmert / und ihre Schriften blieben unangefochten. Hac ille pro autoritate quidem suâ, sed parùm ad rem, & contra ipsius historiae testimonia. Si attendisset ad ea, quæ extant

Deut. IV, 6. 7. 8. rectius fortè judicâisset. Ibi enim Moses, *Hec, inquit, vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes univèrsa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris? Quæ est enim alia gens sic inclÿta, ut habeat ceremonias juslaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. Huic testi coarvo & oculari potius credimus, quàm sinistro cuidam ejus interpreti.*

Sed jam non vacat, nec operæ pretium quoque videtur, plura examinare. Constat ex his paucis, quid de reliquis judicandum sit, ac præmaturum admodum esse, quem autor iste Wertheimensis in lucem édedit factum, imò monstro similem. Nec enim alio forsitan nomine veniet, qui nec Versionis, nec Paraphraseos, nec Commentationis, nec Disquisitionis piæ alicujus ac doctæ vicem subire poterit. Tempus igitur est, ut ad amovendum tot odia, quæ Versione suâ incurrit, porrò ab eâdem abstineat, aut rectius quàm fecit, suam exponat sententiam. Agnoscat quantis hoc negotium prematur difficultatibus, & quot metuenda inde Ecclesiæ nostræ sint incommoda. Ita conciliabit sibi iterùm viros doctiores ac piè de oraculis Spiritus Sancti sentientes, quos adeò commovit istis verborum commentis dicam an cothurnis, ut cum obscuro quovis aut hæreseos suspecto Interprete eodem loco habeant, quin longè adhuc inferiorem, tantùm abest, ut cum illustri ac pio, optimèque de Ecclesiâ merito Principe, de quo ab initio diximus, & ut nonnullos objecisse nobis, meminimus, ullo modo comparandus sit. Compararem potius cum Jeremiâ FELBINGERO, Brigâ-Silesio, Cæslini primùm in Pomerania Rectore, post Ruari amico & Berolini tandem causarum parastata publico; & ab hoc etiam in eo diceremus superari, quod translato in Vernaculam nostram Novo Testamento, editoque in Belgio An. 1655. 8. vocum solùm ipsarum servare tenorem sibi videretur,

tur, & contenderet, & quanquam Socinianis suis & ipse hoc pacto litaret, errores tamen declaratione nullâ auget.

Vos, Commilitones, expensis his facile intelligetis, quid vobis utilitatis ex iisdem pollicendum sit laboribus; quantumque inde in studiis vestris adjuvemini, ubi nec stylus, nec res ipsa, harumque methodus tradendi ita comparata est, ut conveniat Theologis. Inusitata sunt, fatemur, & quæ nemini in mentem veniant, at vel ideò atatem non ferunt, neque applausu excipienda, quod nihil profint ejusmodi paradoxa, nisi ad ostentationem, aut ad curiositatem lectorum explendam, ne dicamus, quod subtile venenum etiam iisdem inspirent. Id quod Philologos æquè ac Philosophos nostros probè observare oportebit, dum ad Theologiam accinguntur, ne *ignem alienum* afferant ad focum divinum, seque ipsos perdant, & socios suos, ut quondam filii Aaronis Lev. X. i. sqq. Profectò non exhauriunt Mysteria Spiritus Sancti verborum firmata, habitumque alium pro opinione hominum sapè induentia, non novæ philosophorum hypotheses, utut nec discussa satis nec certæ, non denique definitionum minus sapè quàm puerilium cumulus, unde falsa trahantur conclusiones, sed potius indoles Linguarum Sacrarum, Fideique Analogia, & ad hanc reperiendam Comparationes locorum ipsius Scripturæ Sacræ frequentius ac sollicitè institutæ, & quæ plura sunt ejusmodi genuina ad Exegesin adjuncta, quibus caventur ambigua, emendantur suspecta, & falsa quævis abolentur, in vulgus nota quidem, sed vel ideò à sciolis parùm curata. Vnde & imponunt incautis, ut vix desit aliquid, ne pro suggestu & liturgiis ista commendent.


Nos cum in Theologiâ Dogmatum è Veteri Testamento illustrandâ, ut ab initio hujus Prolusionis monuimus. more majorum versabimur, eandem quoque cum his viam in tractandis Scripturis Divinis eligemus. Constat hæc Explicatione Verborum, horumque ad credenda & agenda Applicatione. Quò accuratior illa est, & ad mentem auto-

tum

rum concepta, eò rectius applicatur ad usum. Præiverunt ita è nostratibus WIGANDVS, in Corpore Doctrinæ Veteris Testamenti, WALTHERVS in Postillâ Mosaicâ & Salomonâ, DORSCHÆVS in Theologiâ Zacharianâ, MAJVS in Theologiâ Propheticâ atque Davidicâ, qui & ad scopum nostrum propius accedit in Dissertationibus Sacris, in quibus Selectiora totius Veteris Testamenti Oracula secundum seriem Locorum Theologicorum ita explicantur, ut non tantum usus Philologiæ in Theologiâ verus & amplissimus ostendatur, sed & errores novorum quorundam autorum ex instituto refutentur, Francof. & Lips. edit. Ann. 1590. Hos imitaturi pro modulo, à regio tramite haud facile aberrabit. Nosque in hoc opere primùm Repetitione cujusque Loci Theologici brevi vos præparabimus, ut memoriter veluti tenere possitis, quænam è dicto allegando ad istum elicienda veniant atque demonstranda. Tum verò dictum ipsum ita tractabimus, ut piæ ejusdem ac fideli interpretationi, & quæ usum suum maximè in Theologiâ spondeat, videamur satisfecisse. Atque sic verè Petrinum illud in scholis nostris prævalebit, ex Act. XV, II. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & patres.* Valet. Helmstädtii die I. Octobr. Anno Servatoris nostri  
MDCCLXXXVI.














ua nec peccatores tolerari, nec reprobis  
 quidem Diaboli vel ad momentum sub-  
 tum omnis viarum Dei ratio sive in exer-  
 dia sive in demonstranda justitia in di-  
 arum divinarum foedere jam ab aeterno  
 decreta fuerit.

XLIX.

eritur hic; Cur Filius Dei in specie Novi  
 dicatur, cum tamen sponsor jam fue-  
 Pacis Consilio, & à Veteribus jam tan-  
 nitus fuerit? Huic quaestioni occasio-  
 cinianorum Error, qui qualemcunque  
 ti virtutem ad sola Novi Test tempora  
 locus Hebr. 7. v. 22. ubi Christus voca-  
 τὴν ἐγγυος *melioris testamenti sponsor*, &  
 br. 8. v. 6. κρείττονος διαθήκης μεσίτης με-  
 mediator: at verò per κρείττονα διαθήκην  
 hic intelligi nullum est dubium, quod  
 post Christi demum *τελειωσω* exequen-  
 tm Nos respondemus, quòd *melioris Te-*  
 signatè hic dicatur Christus, non quòd  
 e sponsor fuerit, non quòd non agni-  
 t tanquam *Sponsor Testamenti aeterni* in  
 tia consilio: sed quia eo tempore &  
 niversum Dei propositum justificavit  
 quoque confirmavit & justificavit eam  
 partem, quæ signatè quoque *Novi Testa-*  
 signatur. Ita γεγονη factus est Filius Spon-  
 si, qui jam sponsor erat omnis Testa-  
 virtute aeternæ sponsionis necesse erat, ut  
 Sponsor Novi Testamenti: Quando Je-  
 st, non ideò ab aeterno non fuit. *Qui Sa-*

G 2

cerdos

56.